



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. II. Rejiciuntur aliæ disparitates inter visionem claram & unionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

posse Deum videri, & tamen non connotativè ut omnipotentem, licet tota Omnipotentia videatur. Sic similiter fatentur ipsi, intuitivè videri posse unione non visis, imò non omnino cognitis extremis. Et per hæc patet ad disparitatem assignatam à Patre Suarez hic, c. 29. num. 25.

VIII. Valquez d. 48. c. ait rationem, cur una Persona videri nequeat sine aliâ, esse, quòd in confesso sit apud omnes, id fieri non posse. Sed hoc, ut rectè Suarez citatus, est petere principium; Auctores enim contrariè sententiæ hoc negant, & rationem disparitatis sibi dari petunt, cur non æquè videri clarè possit una Persona sine aliâ, ac uniri, aut produci.

SECTIO SECUNDA.

Rejiciuntur aliæ disparitates inter visionem claram, & unionem.

I. *Infinitas Dei non est sufficiens hujus rei ratio.* TERTIÒ itaque respondet Suarez num. 24. refundi hoc posse in infinitatem entitatis Divinæ, quæ, inquit, sufficiens esse potest ad productionem unius Personæ, non alterius; cum productio sit quid ad intra in Deo. Contrà primò: Unio non est quid ad intra in Deo, & tamen uniri una Persona potest, non unità aliâ, quidni ergo & videri? Contrà secundò: Cur infinitas objecti non æquè sufficere potest ad denominationem extrinsecam in re aliquâ fundandam, atque ad intrinsecam.

II. *Disparitatem dant aliqui, quòd sit virtualis distinctio in ordine ad productionem, non in ordine ad visionem.* P. Erice disp. 50. citatâ, sect. 2. n. 26. varias se hujus argumenti solutiones non semel legisse asserit, nunquam tamen animum in iis quiescisse. Quare ipse aliter ad argumentum respondet, esse scilicet in Deo virtuale quandam distinctionem, quæ munera distinctionis realis exercet in ordine ad generationem vel processum unius Personæ non alterius, non tamen in ordine ad unius non alterius visionem. Hujus ratio, inquit, est, quia Pater & Filius inter se opponuntur, & Spiritus Sanctus cum utroque, ita ut repugnet eos esse unam Personam, sicque necessariò una Persona debet esse producens, & non producta, alia producta, & non producens, &c. at verò in ordine ad claram visionem nulla est oppositio, & consequenter eadem semper visione videbuntur.

III. *Hoc non solvit, cur scilicet uniri una Persona potest, non unità aliâ; ita cur videri nequeat aliâ non visâ.* Sed contrà primò: licet enim Personæ Divinæ opponantur in ordine ad productionem, non tamen opponuntur in ordine ad unionem: unde nulla est repugnantia quo minus eadem vel diversâ unione uniantur duæ vel tres Personæ alicui humanitati, sicut possunt videri eadem visione: manet ergo difficultas, quare, sicut uniri una potest non unità aliâ, ita non possit una sine aliâ videri. Contrà secundò: Illa enim oppositio quæ est in ordine ad generationem ac processum, & non in ordine ad visionem, solum arguit, nullam esse repugnantiam quo minus videri simul possint omnes Personæ, quæ tamen omnes non possunt generari, aut procedere, non tamen probat, visâ unâ debere necessariò videri omnes.

IV. *Alii respondent, Personam involvere in suo conceptu negationem aliquam in obliquo: unde, inquit, totum illud positivum videri potest, non visis negationibus, vel etiam prout connotat unam negationem, non prout connotat aliam: hoc ta-*

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

men, aiunt non esse videre unam Personam sine aliâ, cum, visâ illâ entitate positivâ, necessariò videatur id quod fundat illas negationes, seu quod generat, gignitur, & procedit.

Sed contrà: hæc namque solutio concedit id, quod intendunt adversarii; nec enim ullus, ut videatur essentia, non visis Relationibus, requisivit aliud, quàm ut præcindatur Essentia ab eo quod constituit ultimò Relationem, sive illud sit negatio distincta, sive positiva formalitas, virtualiter vel ratione ab Essentia distincta: & quando dicunt videri unam Personam sine aliâ, nihil aliud volunt, quàm visionem tendere in naturam divinam prout connotat unam Relationem, non aliam, sive Relatio illa sit quid positivum, sive negativum.

Habemus itaque ex hac solutione, posse naturam solam formaliter videri, non visis formaliter Relationibus, de quo plura postea, & unam Personam videri posse formaliter, visis cæteris tantum fundamentaliter, seu radicaliter; hoc autem & nihil aliud volunt auctores nostræ sententiæ; nec enim negant, visâ naturâ, videri radicem Relationum. Sicut itaque in aliquo vero & proprio sensu certum est unam Personam generari & uniri, non aliam; ita & poterit videri, licet improprie seu radicaliter videantur reliquæ, id est, videtur id ad quod sequi posset visio aliarum. Sicut etiam, visò Deo, videntur creaturæ radicaliter, & visò sole, videntur radicaliter metalla, aliique ejus effectus. Unde secundum hanc solutionem, videri posset Essentia non visis omnino Relationibus, aut Personis, & is qui videt naturam, imò & unam Personam, ignorare nihilominus posset, Deum esse Trinum & Unum.

Dices, visò clarè Filio, videtur necessariò clarè Natura Divinâ, ergo & clarè videri debet quidquid cum ea identificatur: sed Paternitas & Spiratio identificantur cum Natura Divinâ: ergo debent unâ cum ea videri, ergo à primo ad ultimum, visò Filio, aut quavis aliâ Personâ clarè, videri etiam clarè debent omnes. Contrà: in omni sententia videri debet aliquid uni Personæ competere, quod non competit alteri; nec enim generatur Paternitas licet generetur Filiatio identificata cum naturâ, quæ identificatur cum Relatione Paternitatis: ergo similiter fieri hoc posse dicimus in clarâ visione. Ut autem plenè satisfiat huic objectioni, sit

SECTIO TERTIA.

Vtrum videri possit Essentia Divina, non visis Relationibus, vel è contrâ, aut unum Attributum sine alio.

QUÆSTIO est, utrum etiam admissis præcisionibus per intellectum non cognoscentem res per proprias species, & prout sunt in se, utrum, inquam, sit peculiaris aliqua ratio cur ab intellectu clarè & intuitivè Deum vidente, non possit Deus inadæquatè videri, seu non quoad totum conceptum objectivum, sed ita ut intentionaliter quasi dividatur objectum illud infinitum. Hac in re, eodem ferme modo loquuntur auctores, atque de visione unius Personæ sine aliâ: qui enim hoc concedunt, concedunt similiter posse Relationem videri sine Essentiâ, & è contrâ, & unum Attributum, non visò alio; qui verò id negant, negant similiter de istis. Sed quia hæc duæ quæstiones de intellectu intuitivè & abstractivè cognoscente, facile confunduntur, & eadem argumenta contrâ

V. *Hæc responsio totum concedit quod intendunt.*

VI. *Secundum hanc solutionem, potest natura videri sine Relationibus, & una Persona sine aliâ.*

VII. *Visâ clarè Naturâ Divinâ, non videtur necessariò quicquid cum illa identificatur.*

I. *Vtrum sit peculiaris difficultas præcise objectivè per visionem intuitivam.*